


BOSTON MEDICAL LIBRARY
in the Francis A. Countway
Library of Medicine ~ *Boston*



Digitized by the Internet Archive
in 2011 with funding from
Open Knowledge Commons and Harvard Medical School

<http://www.archive.org/details/dchristophiacobi00trew>

D. CHRISTOPH. IACOBI TREW,

CONSILIARII ET ARCHIATRI CAESAREI, PERSONAE IMPERIA-
LIS MEDICI, S. R. I. NOBILIS, S. PALATII LATERANENSIS FORIQVE IMP.
AVL. COMITIS, SERENISSIMI MARGGRAVII ONOLDINO BRANDENBURGICI
CONSILIARII AVLICI ET ARCHIATRI ACTVALIS, PERILLVSTRIS NORIM-
BERGENSIS PHYSICI ORDINARII ET COLLEGII MEDICI SENIORIS PRIMARII,
CAESAR. ACAD. LEOPOLDINO CAROLINAE N. C. DIRECTORIS, REG. SO-
CIET. SCIENT. LONDINENS. ET BEROLINENSIS ITEMQVE BOTANICAE
FLORENTINAE SODALIS,

ANEVRYSMATIS SPVRII

POST VENAE BASILICAE SECTIONEM

ORTI

HISTORIA ET CVRATIO.

Cum Figuris.



NORIMBERGAE

IMPENSIS WOLFGANGI SCHWARZKOPFII.

MDCCLXIX.

15.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS


THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS
54 EAST LAKE STREET
CHICAGO, ILL. 60607
U.S.A.

38904-1/10/9 25 - Uade

ANNEURYSMATIC

SPERII

POST-OPERATIVE SURGERY



HISTORIA CURATIO

CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO

THE UNIVERSITY OF CHICAGO PRESS

CHICAGO



ANEVRYSMATIS SPVRII

POST VENAE BASILICAE SECTIONEM ORTI

HISTORIA ET CVRATIO.

O pifex quidam 33. annorum, nomine *Baumann*, in opido Hirschbruck ditionis Norimbergensis vitam degens strictioris habitus & lacertosus, firmaque ceterum valetudine animoque constanti gaudens, die 26. Maji anni superioris 1747. consuetam celebravit in brachio dextro venæ sectionem. Chirurghi minister, qui eam lanceola saltante, Germanis *Schnepper*, administravit, adversa fortuna una cum vena basilica simul cubitæam arteriam aperuit, unde sanguis cum impetu & magni arcus forma exsiluit.

Qui sectionem passus est per integrum brachium illico vehementem sensit dolorem, &, qui eam administravit, a se quoque commissum animadvertit errorem, proptereaque magnam sanguinis quantitatem extraxit, unde patiens quoque in lipothymiam incidit antea nunquam perceptam. Chirurgus illico vulnus emplastro fasciaque firmissime constringebat, dolor vero per totum diem continuabat atque ægrotum in lectum conjiciebat, qui ceterum veræ causæ ignarus ex vulgi tantum opinione putabat, nervum forsan quandam simul esse læsum. Altero die totus cubitus ad carpum usque sanguine suffusus reperiebatur, indeque ad ipsum carpum valde tumidus. Chirurgi minister, factum hoc Magistrum suum per quinque dies celans, hisce malis medelam adhi-

adhibuit emplastris & variis llinamentis, tantumque effecit, ut interea dolor paullulum leniretur & suffusio dissiparetur. Nihilominus tamen in loco vulneris mox tumor, amygdalæ magnitudine, in conspectum veniebat mollis quidem tactu & leni pressioni cedens, illico tamen semper rediens. Nocte diem 31. Maji prægressa, dolor denuo oriebatur adeo vehemens, ut patiens cogereetur, summo mane ex ipso Magistro remedium petere, qui hætenus peractorum nescius & ratus rheumatismum quendam dolorum causam esse, pulverem sudoriferum mittebat, largum sudorem prolicentem, & post aliquot horas ægrotum ipse visitabat, tunc vero, licet prædictum tumorem ipse exploraret, & pulsum in illo, ex propria confessione, perciperet, nullum tamen aliud remedium proponebat, nisi eundem pulverem sudoriferum denuo assumendum. Ægrotus, nullam amplius fidem huic habens, brevi post ex alio chirurgo petiit consilium, qui tumori splenia spiritu quodam imbuta, atque his emplastrum defensivum imponebat. Quum vero horum applicationem exciperet tumoris inflammatio cum vesiculis hinc inde ortis atque dolorum augmento, prior chirurgus iterum revocabatur, qui tunc fomentationes cum aceto calido in usum vocabat, inflammationem quidem sedantes, reliqua vero in statu pristino relinquentes. Postea decem ferme septimanæ transigebantur, quarum decursu mox spirituosa & splenia comprimentia applicabantur, mox iterum negligebantur, neuter vero, neque chirurgus, neque ægrotus, officio suo satisfaciebat. Interea tumor sensim sensimque majus capiebat incrementum, magis magisque cubiti extensionem impediabat, atque ægrotum ad labores subeundos minus aptum reddebat. Hisce in angustiis Noribergam demum, die nempe 21. Julii, venit, & D. WOLFFG. JAC. MULLNERUM, chirurgum adiit, qui statim tumorem pro anevrysmate declaravit simulque indicavit, in sola operatione

ratione chirurgica certam ejus medelam eſſe quærendam, & quum final Cl. Dn. D. JO. FRIDERICUS HERELIUS, Republicæ Norimbergensis Phyſicus ordinarius, præſens eſſet, hujus quoque ſententiam exploravit, qui priorem confirmavit, & ſvaſit, ut interea tumor lamina plumbea comprimeretur. His auditis ægrotus domum rediit & cum cognatis ſuis de ſuſcipienda cura conſilium iniit, die quoque 24. Julii plumbeam laminam applicuit, eam vero ob dolores excitatos ultra biduum ſufferre haud potuit, hincque d. 26. ſequente Norimbergam iterum venit. Altero die laudatus Chirurgus MULLNERUS meum quoque conſilium expetiit.

Explorato hinc tumore, eum ovo gallinaceo majori æqualem deprehendi, nullum vero pulſus veſtigium in eo percipere potui; durus præterea tactui ſe ſiſtebat, leniter tamen undique preſſus, mole multum imminui videbatur; ceterum in ſummo ejus veſicula obulum magna & ſugillata, a plumbea lamina minus apte applicata orta, conſpiciebatur. Quam nullum pulſum in hoc tumore detegere potuerim, pro ſpurio anevryſmate illum habendum eſſe certior fui, eſſi tanto temporis intervallo haud latius ſe ſe diſfuderit, ſed circumſcripto quaſi ſpatio incluſus apparuerit. Mali curæque ejus ſuſcipiendæ gravitas communem urgebat conſultationem, cui, præter nominatum MULLNERUM & me, interfuit ſupra laudatus D. D. HERELIUS, ejusque Parens, Inclyti Collegii Medici Norimbergensis Seniorum primarius, ut & D. JOANN. FRID. HERMANN. ZINCK & D. JO. EBERHARDUS EIERICH, uterque ex collegio Chirurgorum noſtratum.

Quum igitur tumor leni preſſioni notabiliter adhuc cederet, omnium conſenſu concludabatur, tentandum ſuper eſſe, numne ille per continuam preſſionem ſenſim ſenſimque adhuc diſſipari poſſit. Quod quo facilius ſuccederet, pro roborandis partibus ſolidis expaſis & reſolvendo cruo-

re coagulato, atque ex tumoris duritie valde condensato præsumendo, hocce præscribebatur infusum: rec. herbæ arnicæ cum floribus, hyperici cum floribus, erysimi, radicis rubiæ tinctorum ana drachm. ij., spiritus vini rectificatissimi unc. octo; stent in digestionem per noctem, mane exprimatur & filtretur liquor. Hoc liquore imbuebantur splenia tumori applicanda; ne autem in parte a vesicula superius memorata læsa dolor inde excitaretur, hæc pro magnitudine sua emplastro defensivo prius munitur & postea splenia modice tantum fascia constringebantur. Nihilominus dolores mox oriebantur adeo vehementes, ut illis ferendis haud par esset ægrotus, vesicula quoque ulterius se extendebat & totus tumor inflammabatur, quare splenia dicto liquore madefacta absque ulla ferme constrictione applicabantur, nobis expectantibus, num cutis erosio & inflammatio decrementum an incrementum captura esset. Dum vero posterius omnino, imo suspicio inde de spontanea tumoris rupturâ oriretur, ne hæc minus oportuno tempore contingeret & hæmorrhagia funesta, antequam succurri posset, accederet, cautelæ loco vinculum tortile vulgare prope axillam applicabatur, sed absque notabili constrictione, debita tamen subjuncta eorum informatione, qui dies noctesque ægrotum custodiebant, quomodo, casu existente, dirigi idem deberet. His vero circumstantiis in melius non mutatis, omnium consensu nil reliquum erat, nisi omnem spem in ipsam operationem collocare, id quod ægroti annunciabatur, indicatis simul periculis, quæ per ipsam etiam hanc operationem incurrere posset.

Ægroti sic ad omnia præparato, dies 3. Augusti tandem ad operationem suscipiendam destinatur. Interea de methodo, qua illa suscipienda esset, cogitanti mihi in mentem veniebant, quæ primum D. D. HAMBERGERUS, in inclyta Academia Jenensi Professor Celeberrimus, in Com-

mercio litterario anno 1732. p. 107. seqq. postea vero prolixius D. NATHANAEL THEOPH. EMRICH, Uratislaviensis, in sua Dissertatione inaugurali sub præsidio Celeberrimi TEICHMEYERI Jenæ anno 1734. de stupendo anevrysmate in brachio feliciter per operationem curato, ventilata, annotarunt, quorum historiam, quemadmodum illam laudatus HAMBERGERUS consignavit, una cum additamentis ex citata dissertatione excerptis, sed alio typo distinctis, præmittere, operæ pretium fore duxi, quia hic casus, omnino peculiaris, non solum ulteriorem divulgationem meretur, verum etiam methodus, qua tractatus fuit, ad illustrationem porro dicendorum inservit.

Studioso cuidam 20. annorum ante festum Michaelis anno 1731. vena secatur basilica dextri brachii, sed adeo infausse, ut arteria quoque subjacens cubitæa simul læderetur. Hoc an chirurgus statim cognoverit, affirmare nequeo. (non cognovit, quia venam sectam simplici tantum fascia more solito firmavit, quod sequens consilium datum magis adhuc confirmat) illud tamen certum est, quum tumor in flexura cubiti nucis avellanæ magnitudinem haberet, a chirurgo consilium esse datum, ut studiosus arcam parvam lapidibus oneraret & manu dextra frequenter agitaret; quo facto tumor indies evasit major, ita, ut circa festum Martini, quo tempore ægrotus Cl. Dom. Consiliar. Aul. TEICHMEYERI auxilium implorabat, jam ovo anserino esset equalis. Hic Vir cl. ex pulsu in tumore deprehendens, anevrysmata adesse, absque sectione curationem vix sperari posse, pronuntiavit, hoc vero remedii genus ægrotò tunc repudiante, alia quidem per unam alteramque septimanam, sed absque successu, attentata sunt. Aliquot diebus post, nescio quo fato, medicastro, omni scientia medica destituto, traditur æger; iste, pro fungo articularum habens tumorem, emollientia applicat. Sic increvit tumor sub enormibus doloribus.

ad insignem magnitudinem. Medicaſter, ſuppurationem ex voto factam credens, cauteria potentialia duo applicat, quorum alterum hora XI. nocturna diei XXI. Decembris cutem perforavit; ſed loco puris tanta ſanguinis erupit quantitas (circiter lb. vj.) ut ægrotus & adſtantes, hæmorrhagiam timentes lethalem, denuo ad cel. TEICHMEYERUM tanquam ad ſacram anchoram, confugerent. Hic, ſedata hæmorrhagia, foramen factum fortiter obturando, emplastro corio illito firmando & ſpleniis faſciisque ulteriorem ſanguinis profuſionem impediendo, altero die Excell. D. HILSCHE-
RUM atque me ad viſitandum ægrotum invitavit, qui tantam hæmorrhagiam perpeſſus moribundo ſimilis erat. Tumor in ſui medio, circa flexuram cubiti, latitudinem 8. vel 9. digitorum, longitudinem vero pede majorem habebat: latitudine enim ſenſim decreſcente paullulum ultra medium humeri aſcendebat, & ultra medium cubiti deſcendebat; cutis circa flexuram cubiti fuſca apparebat. Conſilio inito, ſequenti die, XXIII. nempe Decembris, horis matutinis, ſectionem inſtituere decrevimus, quæ ſequenti modo peragebatur. Interiori & ſuperiori humeri parti, proxime ſupra tumorem, itemque exteriori, duos cylindros ex linteaminibus convolutos, quorum diameter minimum duobus, longitudo quinque digitis æqualis erat, ita applicui, ut minimum internus tota ſua longitudo arteriæ incumberet: obvoluto linteamine aliquoties duplicato, filum cannabinum craſſius, Germanis Klaffter-Schnur, bis laxè circumduxi, quod baculo ligneo contorſi.

Explorato intus, ope ſtyli excavati hebetisque, pro in-
veſtigandis locis incidendis, apertura per cauterium factæ immiſſi, tumore, cel. TEICHMEYERUS cutis ſectionem cultro acutiſſimo inſtituebat, initio facta a dicta apertura, quæ in cubito hærebat, & a flexura cubiti minimum tres digitos diſtabat. Continuata ſectione in linea recta uſque ad
con-

condylum humeri internum, eadem, ob tumorem, in humero adhuc per quatuor digitos secundum longitudinem humeri in parte ejus interna extendebatur. A medio primæ sectionis condylum versus externum humeri novam sectionem instituerè animus erat, sed non, nisi per duos digitos, continuari poterat: tendo enim musculi bicipitis ibi proxime cuti adhærebat, & ab ossibus minimum tres digitos distabat, adeo, ut nulla ejus cum radio connexio, etiam post sanguinis coagulati evacuationem, observari potuerit. Sectione sufficienter facta, sanguis fluidus quidem, sed qualis ex venis prodire solet, effluxit, quo fluxu brevi cessante cl. TEICHMEYERUS sanguinis congrumati & paullulum fœtidi minimum libras duas (Sectione facta, reperiebatur statim partim fluidus, partim, & maximam quidem partem, coagulatus sanguis in cavitate hujus stupendi tumoris, cujus quantitas ad minimum decem librarum [hic procul dubio error] erat) partim digitis cavitati immixtis, partim levi pressione externa, expressit. Apparuit tunc globus ex carne membruosus superficiei inæqualis, arteriæ adhærens, diametri duorum digitorum. Hunc exploraturus digitis paullulum compressi, ex ægroto quærens, num dolorem perciperet, quod quum negaret, fortius pressi, & sic non solum ab arteria successively secessit, sed & in tribus locis ruptus sanguinem coagulatum dimisit. Omnibus sic ablatis nuda arteria, non dilatata, cerni poterat, sed nullam ejusdem læsionem observare licebat, donec laxata paullulum humeri strictura, sanguis floridus einnabarinus per angustum foramen magno impetu posiliret. Cognito sic loco læsionis, humerus denuo constringebatur, & cl. TEICHMEYERUS frustulum vitrioli calcinati loco læsionis applicabat: huic imponebatur charta emporctica masticata, tota regio pulveribus stypticis (ex æquali ferme pondere radicis tormentillæ, bistortæ, rosarum rubrarum, farinæ volaticæ, boli armenæ, sanguinis hirci exsic-

exsiccati, glutinis fabrorum, myrrhæ, mastichis, aloes & colophonii) conspergebatur, reliqua cavitas linteamine carpto pulvere styptico consperso, chartæ masticatæ splenia minora, dein successive majora, imponebantur, donec sufficiens altitudo adesset, ut fasciæ circumduci potuerint. His quoque decenter applicatis, in lectum reponebatur ægrotus, sed, laxata strictura humeri, ubi vis per fascias sanguis floridus arteriosus erumpebat. Denuo hinc humero constricto, fascias & splenia separavi, & (eloto prius vulnere vino calido vel potius tepido, cocto prius cum radicis plantaginis, fymphyti, angelicæ, carlinæ, ana unc. una, herbæ roris marini, salviæ, origani, ferpilli, ocimi, polii montani, agrimonie, betonicæ, summitatum rutæ, florum hyperici, lavendulæ, meliloti, ana manip. uno, arnicæ manip. dimidio, cubebæ drachmis iij.) solam chartam masticatam, liquore styptico imprægnatam, ex communi consilio applicui, commendante Exc. HILSCHERO ad hunc usum præ reliquis liquorem stypticum Dippelii, qui paratur ex herbis traumaticis vel earum succis, ut betonicæ, pimpinellæ, chærefolii, sedi majoris, plantaginis, numulariæ, millefolii, aristolochiæ, vincæ pervincæ, saniculæ, verbasci, fabarum, centinodii, destillatis per retortam cum aceto; reliqua, incurvato prius paullulum brachio, eodem ac antea modo facta sunt, humectatis scilicet eodem liquore styptico omnibus linteaminibus carptis, insuper pulvere adstringente & balsamico, antea descripto, conspersis. Ægrotus in lectum reposito & laxata strictura humeri, nihil per fascias effluebat; fasciis vero liquor spirituosus, ex spiritu matricali, thericali, & aqua Anhaltina æquali portione mixtis, affundebatur. Brevis post lenis & mollis tumor in manu & digitis apparuit, digitos tamen ægrotus melius post operationem, quam ante eandem, movere poterat. Pulsus, qui ante operationem celer erat, post eandem parvus quoque

que evafit. Cura ægroti ftudiofis medicinæ, qui operationi adftiterant, commendabatur, ut nempe qualibet hora epithemata humida ex herbis balsamicis, fupra indicatis, in vino coctis applicarent, & quolibet bitorio fascias fupra dicto liquore fpirituofò confpergerent (eoque fimul brachium fuperius & inferius lavarent, id quod per tres primos dies continuabatur) atque medicamenta bezoardica & traumatica ab Exc. TEICHMEYERO tradita (erant hæc mixtura & pulvis: Rec. tinct. bezoard. Wed., effent. traumat. Wed., theriacal. balsam. ana drachm. j. myrrhæ, succini ana drachm. dimid., tinct. anodyn. gutt. xij. Rec. pulv. bezoard. Sennert. fcrup. ij., contra cafum Auguft., antimonii diaph. ana fcrup. j. nitri depur. drachm. dimid., theriacæ cœleft. gr. iij.) decenti tempore (Mixturæ propinabantur gtt. XLV. hora VII. matutina & III. pomeridiana, pulveris gr. xxv. hora X. matutina & X. nocturna, omnia cum aqua cerasor. nigrorum) exhiberent, atque infuper quidam adftantium vinculum tortile aliquantum remiffum continuo teneret, ut duobus illis craffis fpleniis, exterius & interius ad decurfum arteriæ applicatis, impetus fanguinis aliquo modo constringeretur. Proximâ nox absque fomno fuit, altero die fitis urgebat, pulfus erat celerior atque magnus, & tumor brachii tam infra ligaturam, quam fupra eandem, major atque durior, absque tamen ecchymofi aut inflammatione gangrænosa; venæ feftio hinc in altero brachio ad vj. vel vij. uncias instituebatur & conftictio humeri omnis perfecte remittebatur. Eodem die hora VI. vespertina clyfter etiam applicabatur, qui vero fequente demum die operationem fuam edebat, quod ægrotus ante operationem alvi folutionem expertus fuerat. Potiuncula porro ipfi parabatur fequens: Rec. aq. fcorz., fambuci, galegæ, cerasorum nigrorum, flor. namphæ, cinnamomi f. v. ana unc. j., pulv. bezoard. Sennerti, cephalici Michaelis,

B

epi-

epileptici Marchionum, antimon. diaph. ana scrup. j. Extracti theriacal., scorzoner. ana gr. iij., confect. alkerm. drachm. j. cujus cochlear unum, facta prius agitatione, singulis horis propinabatur. *Altera nocte per aliquot horas dormiverat ægrotus, fœtor circa fascias percipiebatur, pulsus adhuc erat celer, sed tumor brachii minus durus. Vesicula quoque quædam pellucida in dorso manus & cubito erumpebant.* Per tres hosce primos dies ægrotato nullus cibus, præter juscula, & pro potu ordinario decoctum hordei cum cornu cervi & scorzoneræ, attamen, quum hoc minus ad palatum esset, parvus cerevisiæ potus quoque concedebatur. *Noctē tertia rursus per aliquot horas ægrotus somnum viderat, insomniis tamen agitato.* Sequentē die, *XXVI. nempe Decembris, vesiculae ovo columbino æquales in vola manus videbantur, in quibus post apertionem gelatinosa materia deprehendebatur; ægrotus vero fœtorem brachii ulterius ferre non poterat.* Eodem igitur isto die mane, constricto prius paullulum humero, instrumento isto a D. PETIT invento & a D. GARENGET in suo de Instrumentis chirurgicis tractatu descripto, Gallis Tourniquet dicto, removebam fascias atque splenia, & effluebant tam sanguinis, quam materiæ purulentæ, junctim circiter uncia quinque. Cutis, quæ post sectionem flaccida erat, jam succo plena turgēbat, optimi erat coloris, nisi quod alterum labium vulneris, ad tendinem usque bicipitis facti, nigricaret. Dom. Consil. Aul. TEICHMEYERUS chartam masticatam, arteriæ ad hærentem, cum ultimo splenio, arteriæ apprimebat, ut tanto tutius cavitatem a sordibus purgare possem (quod peragebatur penicillo ex linteaminibus carptis confecto & humectato spiritu matricali cum aqua Anhaltina mixto, alioque penicillo ex eadem materia parato, quo ubique vulnus inungebatur sequenti linimento: Rec. pulveris myrrhæ, mastichis, aloes, gummi fandaracæ, radicis aristolochiæ longæ vul-

vulgaris, ana drachm. j., colophonii, balsami peruviani, copaiivæ, ana drachm. ij., mellis rosarum quantum sufficit) *qua purgata, totam chartam masticatam circumcirca colophonio subtilissime pulverisato conspersi, reliquam vero cavitationis partem linteaminibus carptis, spiritu matricali imprægnatis replevi; impositis denique dicto modo spleniis, siccis tantum, fascias adeo laxè circumduxi, ut circumvolutæ tantum viderentur, fiducia in torcular reposita. In lectum agrò reposito, multum laxavi stricturam humeri, & nulla subsequuta est hæmorrhagia. Vola quoque manus emplastris saturninis aliisque decenter tractabatur. Epithemata humida seponebantur & fasciæ liquore tantum spirituofo conspergebantur, eoque etiam singulis tribus vel quatuor horis brachium ipsum illinebatur & pellibus leporinis calefactis contegebatur. Sequenti nocte ægrotus sat bene dormivit, sub insomniis tamen. Quinto a sectione die tumor brachii notabiliter imminutus erat & ægrotus non solum digitos, sed etiam carpum, movere poterat. Quinta nocte sat quiete dormiverat ægrotus. Sexto die, nempe XXVIII., ægroto interea alacriore, validiore & firmiore reddito, denuo abstuli fascias cum spleniis atque linteamine carpto; charta masticata firmiter adhuc adhærebat arteriæ, quam dum Excell. TEICHMEYERUS digito arteriæ apprimebat, totum ulcus a sordibus purgavi, (materiam in cavitatibus contentam, & duas circiter uncias adæquantem, molliter exprimendo, spiritum matricalem & aquam Anhaltinam, cum essentia oculorum populi elixirioque proprietatis sine acido, cavitatibus infundendo, & omnia ope penicilli linimento superius descripto abstergendo) partem nigricantem in extremitate cutis apparentem, quæ se se separaverat, a reliqua cute forfice amputavi, chartæ masticatæ ambitum colophonio conspersi, reliquæ vero cavitationi balsamum atque essentiam oculorum populi illini vi, eamque linteamine carpto, liquore dicto spirituofo imprægnato,*

replevi, splenis duobus primis spiritibus humectatis, reliquis siccis, atque fasciis decenter, lenissime tamen, obduxi. Tendo bicipitis tunc in membranam expansus apparebat. Priusquam hæc fiebat deligatio, vinculum tortile firmabatur; ea vero peracta, rursus aliquantum remittebatur, quantum scilicet necessarium videbatur ad impetum sanguinis per arteriam vulneratam quodammodo coercendum. Sexta & septima nocte optime quieverat ægrotus. Septimo die nullam molestiam amplius sentiebat, cibum appetebat (alium vero, quam hæctenus, juscula nempe, non exhibuimus, nec alium potum, quam supra indicatum, concessimus) & materia purulenta copiose per fascias prodibat. Octavo die, XXX. nempe Decembris, fœtor erat enormis, & ablatiis linteaminibus, non solum tendo bicipitis nigricans atque corruptus ex musculo tantum pendebat, quem Excell. TEICHMEYERUS forfice amputabat, sed charta quoque masticata sponte jam ab arteria secedebat, quæ vero ob carnem recentem & bonam circa eam concretam nuda ulterius, nisi in paucis punctis, haud apparebat, nec sanguinem fundebat, tametsi humerus vix sensibiliter constrictus esset. Totam igitur arteriam novo conspersi colophonio, novam quoque chartam masticatam, liquore styptico Dippelii paullulum imprægnatam, loco læsionis imposui, reliquaque, ut in tertia deligatione, institui. Quum charta masticata prima vice secederet ab arteria, vestigium læsionis in eadem nullum observavi, sequente vero die in loco læsionis particulam corneam, sub lentis magnitudine, lividam vidi, quam vero die V. Januarii, quum denuo ægrotum visitarem, cernere ulterius haud potui, sed tota arteria elegantissime carne tecta erat. Vitæ periculo feliciter sic, adjuvante summo Numine, superato, cl. TEICHMEYERUS reliquam consolidationem solus rursus suscepit, qui quoque in peculiari dissertatione totum casum illustrabit. Ex hac dissertatione hæctenus

nus collata plura addenda haud reſtant, quam ſequentia. D. XXXI. Decembris alvo iterum obſtructæ clyſter denuo adhibitus fuit optato effectu. D. I. Januarii omnis tumor brachii ſubfederat tam ſupra, quam infra vulnus, ſimiliterque color totius brachii erat naturalis. Durities tamen quædam, ſed non admodum dolens, manus latitudinem æquans, ſuper carpo obſervabatur. Stylo in vulnus immiſſo deprehendebatur, duritiem prædictam ad tres circiter digitos carpi verſus procedere, & quidem intra corpora muſculi ſublimis atque profundi. Quare mollem conficiebamus turundam, quam unguento illitam in cavitatem immittebamus, id quod etiam die II. Januarii in deligatione fiebat, quo pus valde pulchrum ſanumque & omni odore deſtitutum, admodum paucum tamen, in vulnere reperiebatur. Nos vulnus, ubi opus erat, eſſentia oculorum populi eluebamus, unguento baſamico illinebamus, denuo chartam maſticatam ea in regione, in qua arteria aperta fuerat, & quæ regio carne jam omnino veſtita clauſaque erat, collocabamus, & hoc quidem, ut eo cautius procederemus. Omnibus locis colophonium adſpergebamus, vulnus plumaceolis contegebamus unguento illitis, illudque ſplenis deligabamus: neque enim uſum hætenus emplaſtrum impoſueramus. Splenia ſingulis tribus horis calidis ſpiritibus irrorabantur, manus etiam & brachium ſuperius illinebantur. Veſicæ in manus vola hætenus exiſtentes hoc die plane ſanatæ fuerunt; unde quoque nil quicquam emplaſtri miraculoſi ad earum ſanationem amplius applicatum fuit. Equidem tribus ante diebus in condylo humeri interno, nec non in regione muſculi anconei, aliquos ægrotus ſentiebat dolores de ſynovia forſan accedente metum incutientes; ſed & hi evanuerunt & ſpatio duorum menſium ægrotus plane convaluit & ab omni motus impotentia liberatus fuit.

Hactenus historia ex relatione cl. TEICHMEYERI atque HAMBERGERI.

Probe ergo perpendens, curam hujus affectus ordinariam, secundum quam arteria læsa supra vulnus ligatur, magnam cubiti debilitatem, propter sanguinis arteriosi & ab hoc dependentis nutrimenti sufficientem distributionem interceptam, semper post se relinquere, imo nonnunquam ipsius amputationis causam fieri, insuper nervi alicujus insignis vicini, nimirum medii (*), sive simul ligetur, sive acus ope separetur, læsionem indeque dependentia graviora symptomata facile accidere posse, e contrario ex leni, sufficienti tamen, compressione & obturatione arteriæ vulneratæ, chartæ masticatæ ope obtinenda, nullum horum metuendum esse: concludebam, hanc curam illi multum præferendam & semper prius, imo si vel etiam una vice effectum desideratum haud præstaret, sæpius tentandam esse, antequam arteriæ ligatura suscipiatur, præsertim quum hoc absque periculo fieri queat, & ligatura semper adhuc locum habeat.

Perpendens porro, pro scopo obtinendo, præsertim in hoc & simili plerumque casu, ubi curandus ceterum sanus & robustus, pars læsa præterea nullam adhuc corruptionem internam passa est, potissimum requiri, ut 1) impetus sanguinis, per arteriam læsam circulantis & vulnus ejusdem distendentis, coerceatur, 2) vulnus leniter, sufficienter tamen, comprimatur ejusdemque labia inter se jungantur, 3) corruptio præcaveatur, 4) partium tamen carnosarum circumjacentium lenis suppuratio, indeque novæ carnis propullulatio, excitetur, 5) de novæ hujus carnis propullulantis condensatione prospiciatur, atque sic 6) non solum arteriæ vulneris firma obturatio, sed etiam simul omnium

(*) *Conf. WINSLOW traité des Nerfs §. 228.*

omnium partium divifarum conjunctio & consolidatio obtineatur: concludebam hinc, intuitu *primi momenti* sufficere torcular ad obturationem usque vulneris arteriæ prudenti directione continuatum; intuitu *secundi momenti* nil aptius excogitari posse, quam chartam emporeticam seu bibulam masticatam, quia sub hac forma & qualitate non solum sanguini penetranti resistere valet, verum etiam omnibus eminentiis & excavationibus se accommodat, adeoque undique æqualiter, absque ulla tamen irritatione vel læsione (quod ab acidis & acris adstringentibus minus æque expectare licet) comprimit atque hac ratione simul arteriæ vulneris labia inter se conjungit; intuitu *tertii momenti* spiritum vini rectificatissimum omnibus palmam præripere, quoniam neque vasa sanguiveha, neque partes nervosas, corrumpit, sed potius ab omni injuria defendit, atque præterea roborat, adeoque simul intuitu *secundi momenti* utilis est, dum leni adstrictione partes disjunctas conjungit, e contrario vitriolum, ut & liquores styptici decantati, ab acido concentrato constringentes vires suas obtinentes, si vel etiam his utile quid præstare possent, partibus saltem nervosis adversa sunt, imo etiam reliquas partes teneras, præcipue vascula nova propullulantia, potius corrumpunt, quam a corruptione defendunt, quemadmodum etiam vegetabilia adstringentia crassa, & impura, putredinem potius fovent, quam cohibent; intuitu *quarti momenti* sola ita dicta sarcotica ex gummosis, resinosis & terreis, cum digestivo vulgari & simplici, ex terebinthina veneta cum vitello ovi conjuncta, & tandem intuitu *quinti & sexti momenti* hæc eadem sarcotica una cum spiritu vini rectificatissimo sufficere.

Hæc animi mei sensa postquam honoratissimis meis Collegis atque Chirurgis exposueram, hique ea unanimi consensu approbaverant, ad operationem suscipiendam sequens adstruebatur apparatus: aderant nempe

1) in

1) in omnem eventum & necessitatis casum, qui arteriæ vulneratæ ligaturam urgeret, duæ acus obtusæ peculiare a D. le DRAN inventæ, singulæ duobus filis tenuibus, robustis tamen & probe ceratis; instructæ;

2) vinculum tortile vulgare: nempe funiculus robustus, Germanis *Klaffter-Schnur*, bacillus; duæ in cylindrum densum, circiter duos digitos transversos crassum & quatuor longum convolutæ fasciæ; splenium ex linteo complicato quatuor digitos transversos latum & tam longum, ut brachium bis circumdaret; frustum denique chartæ crassæ & compactæ, Germanis *Pappendeckel*, tres digitos magnum;

3) aliquot uncia spiritus vini rectificatissimi;

4) aliquot uncia aceti destillati; loco liquoris styptici adhibendi, si præter spem spiritus vini ad cohibendam hæmorrhagiam minus sufficeret;

5) quantitas sufficiens vini calidi;

6) pulvis sarcoticus ita compositus: Rec. pulveris mastichis, olibani, myrrhæ, colophonii, sanguinis draconis, ana drachm. j., glutinis fabrorum, boli armenæ, ana sesqui drachmam.

7) aliquot orbiculi chartæ bibulæ masticatæ, duplicis generis: duo nempe minores pollicem circiter lati atque vulnere arteriæ immediate applicandi, masticatione præparabantur ex illa charta tenera & rubella, ex qua libelli illi, quibus auri folia condi solent, conficiuntur, plures vero & majores ex charta bibula tenera vulgari, ad priores contegendos: discrimen hoc propterea eligebatur, ut in deligationibus sequentibus eo minus error committeretur, quamdiu requiritur, ut infimi intacti relinquantur.

8) sufficiens quantitas lintei carpti, aliquot splenia, & fascia conveniens;

9) *Mixtura confortans*, pro reficiendo operationem passuro: Rec. aqu. florum tiliaë, tunicæ, rubi idæi, cerasorum nigrorum, ana fuscunciam, cinnamomi cum floribus cordial. drachm. ij., liq. anod. miner. Hoffm. scrup. ij., sir. cerasor. acidorum drachm. iij., confect. alkerim. incomp. drachm. j. misceantur.

10) *Spiritus salis armoniaci anthosati* drachm. iij. pro excitando ægroto forte deficiente.

His omnibus rite dispositis, ægroto in sellam collocato & Divini Numinis auxilio implorato, ipsa operatio die III. Augusti hora X. matutina sequenti ordine & modo suscipiebatur.

1.) *Apparatus cura commendabatur* Dom. EIERICH.

2.) *Vinculum tortile* ita applicabatur: unus cylindrorum ex fascia factus imponebatur interiori humeri regioni super arteria brachiali mox infra axillam, alter exteriori regioni oppositæ, ambo firmabantur splenio bis brachium ambiente, & super hac bis, sed valde laxè, ducebatur funiculus ad externam regionem colligatus, ubi uterque funiculi circuitus ope bacilli super frusto chartæ crassioris supposito eo usque pedetentim contorquebatur, ut nullus amplius pulsus in carpo percipi posset, cujus directionem postea Dominus ZINCK in se suscipiebat.

3.) *Quidam adstantium famulorum* firmiter tenebat cubitum, quousque possibile erat extensum, & tunc Dominus MULLNERUS lanceola provide incidebat tegumenta anevrysmatis ad locum inferiorem & fere medium, paullulum tamen interiora versus, pro evitando bicipitis tendine, & quum nil, præter sanguinem nigrum & congrumatum, in conspectum venisset, sectionem prosequiebatur per totam anevrysmatis longitudinem, moxque digito aliquot grumos dissolvebat & extrahebat, quos 2. vel 3. unciaë sanguinis fluidi, non tamen adeo floridi, sequebantur. Post-

hæc magis magisque totam cavitatem a grumis digitorum ope purgabat ac denique quendam paullo firmiter ad locum arteriæ adhærentem & aliter conformatum protraherebat, illi, quam Domini Jenenses in casu superius exposito offenderunt, valde similem, articulum digiti magnitudine æquantem, sanguine congruato pallidorem & quasi membranofum, inferius præterea sulco, arteriæ trunco procul dubio respondente, manifeste excavatum. Quum vulnus pro detegenda & libere conspicienda arteria nondum satis amplum videretur, forfice porro tegumenta, quousque soluta erant, non solum & superius & inferius, sed etiam transversim ad condylum humeri internum usque, discindebat, & postea totam cavitatem vino calido eluebat, quibus peractis denique arteria in conspectum veniebat nuda, & sic confirmabat, anevrysmata omnino fuisse spuria. Ut autem ipsius etiam arteriæ vulnus detegeretur, vinculum tortile relaxabatur, & tunc illico sanguis tenuis & floridus cum impetu & arcus forma profiliebat, quo viso, D. MULLNERUS locum probe observatum statim digito comprimebat, & altera manu eidem imponebat orbiculum masticatæ chartæ rubellæ, quem Dom. EIERICH spiritu vini rectificatissimo imbuerat, & pulvere sarcotico No. 6. largiter conspererat.

Constricto interea a Dom. ZINCK rursus vinculo tortili, primo orbiculo imponebat D. MULLNERUS secundum ex pari charta paratum, & postea plures ex vulgari charta bibula confectos, omnes etiam spiritu vini rectificatissimo & pulvere sarcotico imbutos, usque dum summam cavitatis ferme attigerint; reliquum cavitatis implebat plumaceolis pariter spiritu vini rectificatissimo & pulvere sarcotico imprægnatis, totum vulnus tegebat uno & altero splenio quadrato, & tandem omnia firmabat fascia firmiter constricta.

4.) Dum hæc peragebantur, ægrotus aliquoties paliebat & gravem virium defectum sentiebat, suo tamem iudicio

dicio magis ex vinculi tortilis constrictione, quam ipsius operationis doloribus, nihilominus omnia firmo animo sustinebat; semper sibi constabat atque se ipsum odore spiritus No. 10. excitabat, hausto simul interdum uno vel altero cochleari mixturæ No. 9. propinato.

5) Quam primum deligatio facta erat, vinculum tortile pedetentim denuo penitus relaxabatur & tamen nullum per fasciam penetrantis sanguinis vestigium observabatur. Quum vero explorato in carpo pulsu hujus nullum indicium per 6. ferme temporis momenta minuta perciperetur, dubium oriebatur, numne arteria per applicata penitus fuerit compressa; sed inter meditationes, quid porro faciendum, sensim sensimque penitus hic rediit & summum in adstantium gaudium declaravit, circuitu sanguinis per arteriam licet restituto, nihilominus tamen eum per vulnus non amplius excedere, adeoque primam statim deligationem optato successu esse peractam, pro quo beneficio Deo agebantur gratiæ debitæ.

6.) Quoniam autem necessum erat, ope constrictio- nis, sanguinis per arteriam circumeuntis impulsum moderari, sicque vulneris ejus coalitum facilitare, minus commodum vero videbatur, vinculum tortile supra descriptum semper in debito constrictio- nis gradu dies noctesque conserva- re, hoc removebatur & aliud ejus in locum applicabatur, eum ferme in modum constructum, prouti a GAREN- GEOT (*) describitur & delineatur. Hoc debita ratione firmato ægrotus in lectum collocabatur, brachio supra & infra deligationem spiritus vini camphoratus illinebatur, ei- que pulvinar substernebatur & imponebatur.

C 2

7.) Pro

(*) *Traité des instruments de Chyrurgie Tom. II. a la Haye 1725. p. 142., editionis Germanica ab F. A. MISCHÉL translata & Berolini 1729. edita p. 143.*

7.) Pro regimine præscribatur diæta tenuis, cibi nempe loco sola juscula, & loco cerevisiæ, cui assuetus erat, aqua tantum fontana haud nimis frigida; ex medicamentis nihil necessarium putabatur, quam pulvis temperans sequens: recip. lapid. cancrorum acido citri saturatorum, nitri depurati ana drachm. j. pro quatuor dosibus quotidie una mane, altera ante somnum capiendum, cum aqua fontana fumendis. Ceterum ægroto semper adjungebantur duo ex chirurgiæ studiosis, qui dies noctesque ejus curæ invigilabant. Hac sub dispositione dies & nox insequuta satis tranquille transigebantur. Altero die ægrotus nonnullum æstum, & sitim paululum auctam sentiebat, hinc sequens mixtura sæpius capienda ipsi præscribatur: Rec. aqu. rubi idæi, fragorum, cerasor. nigrorum, florum tiliæ, ana unc. ij., cinnamomi cum floribus cordialibus drachm. ij., liquor. anodynæ mineralis Hoffmanni scrup. ij., clyff. antimonii sulphurati scrup. dimid., sir. cerasor. acidor. drachm. vj. misceantur. Ceterum brachio spiritus vini camphoratus, ut antea, aliquoties interdum illinebatur. Tertio die cubitus & manus notabiliter tumeant, pulsus paululo auctior, & urina saturata cum sedimento observabatur, alvus vero libera & reliqua omnia satis tolerabilia, manebant, quare regimen inchoatum tantum continuabatur, neque venæsectio necessaria habebatur, præsertim quum quarto die sitis, pulsus & urina naturalibus & consuetis iterum responderent.

Quum vero tertio jam die fœtor circa vulnus notabilis oriretur, & suppurationem plenam indicaret, altero die, nempe VI. Augusti, recens deligatio sequentem in modum instituebatur:

1.) Ægroto iterum in fellam collocato & torculari GARENGEOTI hætenus applicato remoto, ejus in locum
 prius

prius vinculum tortile substituebatur, ita tamen, ut funiculus tantum duplex super reliquo apparatu posterioris torcularis duceretur & supposita charta crassa ope bacilli contorqueretur, usquedum pulsus in carpo iterum evanesceret.

2.) Posthæc adstans firmiter tenebat cubitum, D. MULLNERUS solvebat fasciam, removebat splenia & plumaceolos, tandemque chartæ masticatæ orbiculos, usque dum duo ultimi chartæ rubellæ in conspectum venirent, id quod dextra manu peragebat, dum sinistra semper orbiculos chartaceos arteriæ apprimebat. Remotis omnibus (exceptis duobus infimis orbiculis chartæ rubellæ, & his proxime incumbente ex charta bibula vulgari confecto, firmiter sinistra manu in situ pristino immotis retentis) dextera eluebat, ope syringæ, vino calido totam vulneris cavitationem, quæ ubique recens comparebat & paucam tantum puris quantitatem fundebat.

3.) Recentes orbiculi, ex charta bibula vulgari masticata parati, iterumque spiritu vini rectificatissimo, pulvereque sarcotico imbuti, eodem modo, ac in prima deligatione, applicabantur, reliqua vero cavitas iterum plumaceolis, spiritu vini rectificatissimo imprægnatis, sed porro unguento digestivo vulgari supra p. 15. indicato obductis, replebatur, & reliqua, ut antea, feliciter peragebantur.

4.) Interea temporis aliquoties quidem levia animi deliquia iterum intercurrerant, sed pariter spiritus odore dispellebantur.

5.) Facta deligatione, tortile vinculum penitus relaxabatur, & pulsus iterum non, nisi post aliquot minuta, naturalis redibat.

6.) Vinculum tortile cum torculari commutabatur, hocque sub modica tantum adstrictione applicabatur, supra liga-

turam & infra eam, spiritus vini camphoratus illinebatur, ægrotus in lectum collocabatur &, ut antea, fovebatur.

Reliquam partem quarti diei, noctem insequutam & quintum diem ægrotus satis tranquille transigebat absque ullo accidente præternaturali, ut & noctem sequentem; sub hac tamen somno profundo sepultus aliquanto post subito se erigebat & brachium læsum valde extendebat, quia sibi somnianti videbatur a quodam invadi. Vigiles, illico deligationem explorantes, aliquam in fasciis observarunt quidem maculam, sed quum sanguineum colorem haud referret, foetoremque potius spiraret, certiores reddebantur, eam a transfudante pure tantum ortam esse & nil metuendi accidisse.

Sexto die, VIII. Augusti, tertia deligatio instituebatur, sub qua torcular non commutabatur, sed tantum paullo fortius, non tamen ad plenam usque suppressionem pulsus in carpo, constringebatur, deinde omnia, exceptis iterum tribus infimis orbiculis chartaceis, removebantur, cavitas iterum vino calido ope siphonis eluebatur, interea orbiculi chartacei in situ relictæ arteriæ apprimebantur, & reliqua, ut in secunda deligatione, peragebantur, tandemque torcular ad lenem usque constrictionis gradum relaxabatur, brachium spiritu vini camphorato fovebatur, & sic hac quoque vice ægrotus optato successu lecto committebatur, ejusque cura ordine hætenus consueto continuabatur.

Hac sub deligatione nullam plane sensit alterationem ægrotus, qui etiam totum hunc diem, sequentem noctem, ut & septimum diem, cum nocte insequuta, ordine naturali & absque ullo symptomate transigit; interea tumor cubiti manusque etiam plane disparuit.

Quum

Quum ergo omnia secundum naturam fierent, nullum vestigium alicujus commotionis febrilis superesset, urina potius justo tenuior & limpidior compareret, ægroto tunc concedebatur, ut interdum haustu cerevisiæ se reficeret, interdum aliquot horas lecto se detineret, & unam tantum pulveris temperantis dosin vesperi assumeret.

Die octavo, X. Augusti, quarta deligatio fiebat, eodem modo, ac tertia, nisi quod duo infimi tantum orbiculi chartæ masticatæ rubellæ in situ detinerentur.

Hac sub deligatione vulnus quidem merum sanguinem stillabat, non tamen arterioso, sed venoso similem & mox, applicato tantum aparato hactenus consueto, se iterum sistentem, hincque nullum metum periculi incutientem.

Ab hoc tempore recens deligatio quotidie instituebatur, & nono die, XI. Augusti, totum vulnus ab omnibus sordibus plane mundum, orbiculiq. chartæ masticatæ rubellæ primo die applicati penitus mobiles atque soluti deprehendebantur. D. MULLNERUS ergo has quoque removebat, digitum regioni, quam occupabant, applicabat, mox tales orbiculos recentes &, ut antea, spiritu vini rectificatissimo & pulvere sarcotico imprægnatos substituebat, reliquamque vulneris cavitatem plumaceolis, solo spiritu vini rectificatissimo madefactis replebat, quo modo etiam deligatio die XII. Augusti peragebatur. Die sequente, qui erat dies Solis & undecimus ab operatione facta, vulnus penitus evacuatum curatius examinabamus & summo gaudio animadvertebamus, torculari licet penitus relaxato, non solum ne unicam guttulam sanguinis exstillasse, sed etiam totam arteriam recenti & firma carne obductam esse. His observatis deligatio quidem, ut antecedens, peragebatur, sed ægroto concedebatur, frustulo assatæ carnis vitulinæ appetitui satisfacere, pulvis præterea temperans non amplius utilis judicabatur, quem admodum nec vigillum cura & torcularis applicatio, quæ
cum:

cumprimis perfectæ quieti nocturnæ impedimento erat. Quum ergo totum vulnus mundum & carne firma magis magisque repletum deprehenderetur, semper quidem reliqua cavitas orbiculis chartæ masticatæ, & plumaceolis spiritu vini rectificatissimo pulvereque sarcotico imbutis adhuc replebatur, sed simul, pro obtinenda & acceleranda commoda cicatrice, emplastris glutinantibus contrahebatur ita, ut ex rotundo vulnere oblongum fieret, & labia ejus propius ad se invicem accederent. Præterea, quum ex his circumstantiis optatis certo constaret, non solum arteriam læsam carne sana atque robusta satis munitam, sed etiam ipsum vulnus ejus consolidatum esse, de die XVII. Aug. cubitus quandoq; leniter extendebatur. Ab eo namque tempore, quo anevryisma notabile incrementum cepit, ægrotus, ad temperandos dolores, semper tenebat cubitum flexum, unde musculus biceps ejusque tendo, tam valide contrahebatur, ut postea cubitum libere extendere non amplius potis esset; ut autem & hujus musculi & tendinis ejus relaxatio eo facilius obtineretur, quotidie aliquoties inungebatur sequens linimentum: Rec. ungu. de althæa, populnei, ana fescunciam, olei petræ rubri drachm. j. misceantur. Hac itaque sub directione, aspirante Divini Numinis gratia, eo res ad votum cessit, ut quatuor hebdomadam decursu & tota vulneris cavitas carne firma sanaque repleta, & cicatrix eo usque perducta fuerit, ut spatium duos tantum transversos digitos longum & duas lineas latum relictum esset nudum.

Quum ergo vulneratus eo usque restitutus esset, & rerum domesticarum causa, domum redeundi desiderio flagraret, nullum supererat dubium d. III. Septembris voto ipsius satisfaciendi, hac tamen addita admonitione, ut ad plenam usque cicatricis formationem quotidie bis nudam adhuc carnem linteo spiritu vini rectificatissimo madefacto tegeret, &

em-

emplafiro defenſivo firmaret, linimentum etiam prædictum continuaret, & leni extenſione cubitum sæpius exerceret, ipſe autem, quam primum fieri poſſet, huc reverteretur, quia neceſſe adhuc eſſet, ut ligaculum quoddam applicaretur aliquamdiu geſtandum, ad præcavendam arteriæ, ad locum vulneris debilitatæ, ſub gravioribus motibus extenſionem, indeque novam anevryſmatis, vel ſpurii vel veri, productionem.

Brevi poſt cicatrix optime firmata & ſiccata, brachii quoque extenſio æque, ac flexio, penitus libera reddita, & ſic vulneratus in integrum reſtitutus eſt, qui poſt duos demum meſes ad nos rediit, ubi de his propria exploratione certiores facti ſumus. Nihilominus, plenæ ſecuritatis cauſſa, D. MULLNERUS ligaculum ſupra memoratum adaptabat, & eodem modo, quo vena ſecta firmatur faſcia, ſed ſimplici tantum tractu, adplicabat ita, ut globulus quidam eidem inhærens exacte reſponderet loco, ubi arteria læſa fuit. Hoc ligaculo per aliquot adhuc meſes, graviores præcipue labores ſuſcipiens, uſus eſt hic vir, qui meſe Februario hujus anni huc reſreſſus de curationis perfectione me iterum certioſem fecit.

Anno 1748. d. 26. Aprilis pellionis hujus loci ſervo, annum ætatis 28. agenti, temperamentis ſanguineo phlegmatici, natione Pomerano, pariter lanceola ſaltante vena ſecabatur baſilica dextri brachii. Ex relatione balneatoris, qui iſtum adminiſtrabat, mox ſequebatur dolor inſolitus atque continuus, quare eum perpeſſus ejusdem diei veſpera eundem balneatorem adibat & de dolore vehementi conquerebatur. Ille in regione, qua vena ſecta fuit, ruborem quendam ſeu inflammationem obſervans ſpiritum vini camphoratum eidem adplicabat &, dum altero die notabile enchymoma ibidem vidit, ejusdem ſpiritus crebriorem adplicationem commendavit. His ſub circumſtantiis vulneratus opificium ſuum pro viribus adminiſtravit in tertiam uſque hebdomadam; intere vero in loco læſo comparebat tumor caſtanæ magnitudine, cui balneator adplicuit emplaſtrum ad rupturas,

aucto vero dolore & tumore, splenium densum spiritu vini camphorato imbutum imposuit & fascia circulari valide firmavit hacque ratione per octiduum continuavit. Statu hoc inde nequiquam in meliorem mutato, balneator collegam & affinem suum consuluit, qui, commodiori consilio succurrere nesciens, fortiorem adhuc compressionem suadebat, quæ vero non solum totius brachii manusque tumorem, verum etiam intolerabilem dolorem excitabat. Licet autem hæc methodus minime fructuosa, perniciosa potius, reperiatur; nihilominus hic balneator omnem medelam in sola compressione ponebat & de fortiori adhuc tantum cogitabat, eandemque ope machinæ cum cochlea tumori adplicitæ obtinendam esse putabat. Hac itaque tumor fortissime comprimebatur; inde vero cutis compressæ necrosis mox sequebatur, quæ partes mortuæ deinde digestivis tractatæ se a sanis separare coeperunt die 2. Julii, quo tempore ille, qui infelicem hanc venæsectionem peregit, de eventu optato sollicitus adiit D. WOLFG. JAC. MULLNERUM, chirurgum illum, ac Operatorem hujus loci expertissimum (cujus dexteritatem in priori observatione jam laudavi) eumque rogavit, ut secum inviseret ægrotum. Hic exploratam partem læsam statim agnovit pro anevrysmate spurio, simulque declaravit, ex incongrua tractatione malo in pejus mutato, amplius separatis escharis, hæmorrhagiam gravissimam vel plane lethalem, facile sequuturam, nec aliam medelam quam ex operatione sperandam esse; ad quam perficiendam opem suam simul obtulit. Hisce se opponebat alter balneator, contendens, escharæ separationem & ulceris consolidationem esse expectandam, & his obtentis emplastrum ita dictum pamphylium reliquum tumorem exsiccare posse. Sed accidit paullo post idem, quod MULLNERUS prædixit. Die scilicet octavo Julii, quum læsus balneatoris prioris domum peteret & hunc sociosque suos peropportune præsentem inveniret, anevryσμα sponte sua rumpebatur & magnam copi-

copiam sanguinis fundebat, quem omni studio ope torcularis, quod ipsis antea communicabat & commendabat MULLNERUS, sistere conabantur. Sequentē die ab his ipsis balneatoribus vocatus est sæpius memoratus MULLNERUS atque rogatus, ut auxilio suo ipsis succurreret, quod etiam lubens se præstiturum spondit & postea ad me venit petiitque, ut operationi suscipiendæ adfiterem omniaque, ut in priori casu, dirigerem. Die ergo Julii nono matutinis horis hic prope humerum applicabat torcular cum trochlea & pulvillo ex aluta confecto & bene facto fasciaque circulari ad illud pertinente, deinde præsentibus duobus illis balneatoribus solvebat ligaturam & observabat læsam partem floreni magnitudine majorem sphacelatam, tandemque partes mortuas proximasque vivas sufficienti quantitate lintei carpti seu plumaceolorum & spiritu vini rectificatissimo imbutorum muniebat necessariisque spleniis fasciisque firmabat. His peractis relaxabat torcular eousque, dum pulsus in carpo denuo sentire posset; ipsa operatio vero in diem sequentem differebatur.

Hoc die 10. Julii ergo mane conveniebamus, & aderant quoque ex collegis meis honoratissimis D. D. *Ge. Leonh. HVTHIUS* D. D. *Jo. Frid. HERELIVS* junior & D. D. *Jo. Adam. BAUER*; Dn. MULLNERUS vero rogabat Collegam suum Dn. *Jo. Eberhard EIERICH*, Chirurghum & Operatorem non minus expertum, ut ipsi auxiliatrices manus porrigeret, quemadmodum id in priori casu laudabili studio & dexteritate præstitit. Ceterum ex collegis eorum curiositatis gratia accedebant porro Dn. *Christoph. Andr. MULLERUS* & Dn. *Ernest. Leopold. STOECKELIUS*.

Quum consilium capiebamus, operationem eadem methodo, quæ feliciter antea cessit, suscipere, idem etiam apparatus in ejusdem casus recensione fusus descriptus, parabatur, non neglecto illo, quo in casu necessitatis pro arteria liganda opus esset. Ut reliquis accidentibus quoque pro-

spiceretur, ordinavi 1) mixturam confortantem cochleatim fumendam eodem modo, ac supra p. 17. no. 9. descripta est, compositam.

2) Odoramentum naribus subinde admovendum: rec. spiritus roris marini drachmas tres, salis armoniaci anthofati drachmam unam.

3) Pulverem temperantem singulis sex horis propinandum: rec. matris perlarum acido citri saturatae, nitri depurati ana grana quindecim, cinnabaris antimonii rectificati grana decem, pro dosi.

His omnibus paratis & divino auxilio implorato ipsa operatio sequenti ordine & modo suscipiebatur.

D. Operator MILLNERVS collocabat vulneratum in fedile, applicabat vinculum tortile simplex cum funiculo & bacillo & committebat ejus directionem STOECKELIO, cubitum vero extensum firmiter tenendum commendabat MÜLLERO. Deinde ligaturam vulneris solvebat, quo facto vulnus a sphacelo exesum floreni majoris amplitudine apertum & sanguine grumoso magna ex parte quasi polyposo seu fibroso repletum apparebat. Postea hunc grumofum sanguinem indice manus dextræ pedetentim & provide removebat mole sua duas uncias facile æquantem, & partim cum cute, partim & magis adhuc cum subjacentibus musculis vasisque firmiter cohærentem. His peractis vulnus cum vino calido syringæ ope probe eluebat eo usque donec arteria satis clare in conspectum veniret. Hac detecta vinculum tortile relaxandum præcipiebat, quo facto sanguis illico & magno cum impetu ad operatoris brachii longitudinem profusiebat, qui interea aperturæ locum attentus observabat eidemque tam cito, quam fieri poterat, obturamenta jam parata adplicabat, constricto interea iterum torculari. Consistebant hæc primo ex charta bibula tenuissima, masticata, ter quaterque complicata, & quadratam in formam pollicis magnitudine explanata, alcohol vini impræ-

gna-

gnata & pulvere styptico atque conglutinante, priori in casu p. 17. no. 6. descripto, largiter confersa. Harum placentularum chartacearum erant sex, singulæ prædicto modo præparatæ, quarum una alteri imponebatur, & prima præcipue tam provide applicabatur, ut non solum arteriam, verum etiam vicinas partes accurate ambiret. Reliqua vulneris cavitas, quæ ovum gallinaceum facile capiebat, placentis ex linteo carpto paratis, seu plumaceolis sic dictis & alcohol vini largiter pariter imbutis replebatur tota, cui imponebantur tria ex complicato linteo confecta splenia omniaque denique fascia circulari 4. vel 5. ulnarum firmabantur. His absolutis bacillus vinculi ad pulsus usque in carpo sensationem relaxabatur & deinde hoc cum torculari trochlea instructo commutabatur, hocque iterum constringebatur, ita tamen, ut pulsus in carpo percipiendus non plane supprimeretur. Totum denique brachium habena seu mitella (*Escarpe*) suffulciebatur, æger lecto committebatur, ferri quoque monebatur, ut semper servaret brachium quietum, diætamque tenuem. Idem dies & nox sequuta satis tranquille transigebatur, & die 11. Julii reperiebatur fascia adhuc firma & absque ulla sanguinis transudantis macula. Hunc diem excipiebat nox minus tranquilla, absque tamen ullis symptomatibus notatu dignis.

Die 12. mane iterum conveniebamus, ubi, fortius denuo adstricto torculari, operator fasciam circularem & deinde splenia unacum tribus vel quatuor plumaceolis removebat, quorum vices supplebant totidem recenter confecti & alcohol vini pariter probe imbuti. Tunc simul vulneris labia, ex sphacelosa corruptione male olentia, plumaceolis alcohol vini & unguento digestivo imprægnatis muniebantur, additisque spleniis omnia iterum, ut antea, fascia circulari colligabantur. Eodem die vulneratus vehe-

menter me rogabat, ut ipsi cibum magis nutrientem carnemque, & aquæ loco cerevisiam concederem, quum ventriculus suus pomeranus ejusmodi victum parcum & tenuem amplius perferre haud posset: quibus rationibus consensum eo facilius præbui, quo minus ullum symptoma contradicebat, quemadmodum etiam easdem ob rationes usum omnium remediorum internorum amplius continuandum haud injunxi. Hac sub mutatione nox sequebatur tranquilla.

Die 13. deligatio eodem modo iterabatur, quam sequebatur dies & nox tranquilla, si excipias levem animi inquietudinem.

D. 14. deligatio pari modo renovabatur & simul duo vel tres plumaceoli plures quam hucusque removebantur: dies & nox sequebantur ad votum.

Die 15. & 16. deligatio & valetudo eadem, & die 16. vulnus simul cum spiritu vini simplici syringæ ope probe eluebatur.

D. 17. Patiens indicabat vulneris dolores majores illis, quos hucusque sensit: in deligatione reperiebantur non solum labia vulneris recentia, verum etiam ipsum vulnus a sordibus magis purgatum, quæ partes nunc magis vivæ procul dubio etiam magis sensiles redditæ sunt. Effluebat simul ex vulnere pauca quantitas sanguinis, sed solummodo ex venarum osculis nunc, purgata corruptione & impedito, ob torcular adplicatum, sanguinis libero circuitu, magis apertis.

D. 18. sub deligatione iterum duo plumaceoli ex illis, qui a prima deligatione relictæ fuerunt, cum reliquis quotidie renovatis removebantur, ubi iterum pauca sanguinis venosi quantitas effluebat.

D. 19. remotis omnibus plumaceolis duæ etiam ex placentulis chartaceis liberæ reperiebantur & simul eximebantur

tur, vulnusque probe purgabatur, ceterum plumaceolis denuo replebatur simulque torcular removebatur, relictis tamen ejus fascia coriacea & splenio super arteria brachiali fasciæ ope, sed leniter tantum constrictæ, firmato.

D. 20. reliquæ etiam placentulæ chartacæe reperiabantur solutæ, quibus remotis, vasa antea denudata nunc carne recenti firmaque penitus testâ se sistebant, de quo magna cum voluptate certiores reddebamur. His observatis cavitas replebatur folis plumaceolis, alcohol vini tamen adhuc imbutis & pulvere styptico & glutinante denuo conspersis, omniaque fascia ordinaria firmabantur.

D. 21. qui erat undecimus ab operatione facta, vulnus ad consolidationem properans observabatur, ad quam ulterius promovendam & vulnus rotundum in oblongum mutandum, hoc contrahebatur emplastro glutinante, ceterum ejus cavitas plumaceolis ut priori die imbutis replebatur.

D. 22. omnia eodem modo tractabantur &

D. 23. cavitas castaneam vix amplius capiebat, ceterum hoc &

D. 24. deligatio pari ratione instituebatur, nunc vero & fascia torcularis & splenium arteriæ brachiali applicatum removebantur.

Die 25. tandem omnis tumor brachii penitus ferme evanescebat & vulnus decimo quarto operationis die ut aliud simplex tractabatur, ita, ut brevi post plena consolidatio sequeretur.

MANTISSA.

Ut hujus mali gravitas & medelæ ei parandæ difficultas clarius pateſcant, partes, quæ in venæſectione lædi poſſunt, earumque cum aliis connexiones probe cognitæ eſſe debent. Celeberr. MONRO has partes eandem ob rationem jam ſigillatim delineandas curavit (*), ſed rudi artificis manu. Ex tabulis anatomicis naturali magnitudine & vivis coloribus repræſentatis, quas D. GAVTIER edidit, nulla iis, quæ adhuc explicanda ſunt, lucem aliquam affundit (**)

Ico-

(*) *Medical Eſſais and Obſervations, revised and published by a Society in Edinburgh. Vol. II. 1734. octau. maj. p. 280. ſeq. tab. II. fig. 1. ubi vero omnes partes valde imminutæ repræſentantur. In Germanica verſione, quæ titulo: Die mediciniſche Verſuche und Bemerkungen, vvelche von einer Geſellſchafft in Edinburgh durchgeſehen und herausgegeben vverden, Altenburgi 1750. in oct. prodierunt, p. 368. ſeq. tab. II. fig. 1. eadem ad parem normam occurrunt; in Gallica vero verſione, quæ antea jam titulo: Eſſais & Obſervations de medecine, de la Societé d'Edinbourg, Pariſiis 1742. in duodec. mai comparuit, p. 349. tab. II. fig. 1. ad minorem adhuc magnitudinem redactæ ſunt.*

(**) Tertia hujus operis ſplendidiffimi & forma regia editi pars in fronte hunc gerit titulum: *Anatomie generale des Viſceres en ſituation, de grandeur & couleur naturelle, avec l'Angiologie & la Neurologie de chaque partie du corps humain.* Harum tabularum Vta repræſentat quidem in brachii dextri anteriori facie muſculos, venas, arterias & nervos in naturali connexionem; ſed eatenus tantum, quatenus detracta cute ſtatim in conſpectum veniunt, nec tamen ſatis diſtincte.

Icones Ill. D. de HALLER (*) optimæ sunt; quum vero laudatus auctor, pro scopo suo, venarum atque arteriarum præcipue universam per integrum brachium divisionem & distributionem cum accuratione ipsi solita representandam suscepit & præterea, ad chartæ normam, naturali magnitudine multo minorem, eandem sistere coactus fuit: has nostras icones, magnitudinis naturalis, vasis vario insuper colore distinctis, haud supervacaneas imò pro hoc scopo peculiari necessarias duxi, quarum explicationem reliquis præmitto, sed eos, qui illas examinant, simul moneo, ut memores sint, non solum venas, uti in toto corpore, ita sigillatim quoque circa cubitum, divisione & distributione sua ita variare, ut vix unquam in utroque brachio unius subjecti unum eundemque ordinem observent; verum etiam haud raro arteriarum propagines a regula ordinaria recedere, imo, ipsos nervos, saltem subdivisionibus suis, ab hac variatione non excipiendos esse. His addo, harum figurarum partium omnium denominationem haud esse expectandam, quia non omnes ad scopum præfixum pertinent, justo longior autem esse nolui.

TAB. I. Fig. 1. sistit cubiti sinistri regionem circa flexuram ejus cum humero ea sub facie, qua materia ceracea repleta vasa sanguifera nervique, detracta sola cute & pinguedine adparent.

TAB.

(*) *Iconum anatomicarum, quibus aliquæ partes corporis humani delineatæ traduntur, fasciculus VI. Arteriæ pectoris & brachii. Auctore ALBERTO v. HALLER &c. Gott. 1753. fol. maj. tab. III. qua præter musculos venæ, arteriæ, nervique sistuntur, quatenus detracta cute adparent; tab. IV. quæ arterias in antica, Tab. V. in postica parte occurrentes delineat.*

TAB. I. Fig. 2. offendit eandem regionem remotis etiam venis extimisque nervis cutaneis.

Fig. 3. repræsentat iterum hanc regionem, fed remotis musculis pronatore rotundo & radiæo interno ut & aponevrosi muscoli bicipitis.

Tab. II. Fig. 4. exhibet hanc cubiti regionem cum humeri anteriori facie integra, ut arteriæ situs & divisiones primariæ sigillatim in conspectum veniant.

Partium præcipuarum in his figuris conspiciendarum index hic est:

- | | |
|--|--|
| A. Musculus biceps fig. 1. 2. 3. 4. | G. ramus ex medianæ & cephalicæ concursu fig. 1. |
| B. ejus tendo fig. 1. 2. ad insertionem usque detectus fig. 3. 4. | H. ramus ex mediana fig. 1. |
| C. ejus aponevrosi seu tendo superficialis fig. 1. 2. separatus & reflexus fig. 3. | * locus ubi plerumque arteria ulnaris in sectione venæ basilicæ vel ramî ex mediana læditur fig. 1. 2. 3. 4. |
| D. musculus supinator longus fig. 1. 2. 3. 4. | a. arteria brachialis seu humeraria fig. 1. 2. 3. 4. |
| E. - - - pronator rotundus fig. 2. dissectus fig. 3. 4. | c. c. ramî superiores ad muscolum tricipitem fig. 4. |
| L. Olecranon fig. 2. 3. 4. | d. d. d. collateralis superior fig. 4. |
| A. vena basilica fig. 1. | b. ramî ad bicipitem & brachialem internum fig. 4. |
| B. ejus ramus ulnaris fig. 1. | e. e. ejus excursio per muscolum tricipitem, ubi pone olecranon in dorso brachii cum arteriæ ulnaris ramo |
| C. C. C. vena profunda fig. 1. | re- |
| D. D. vena cephalica fig. 1. | |
| E. ejus ramus fig. 1. | |
| F. F. mediana ex basilica & cephalica fig. 1. | |

- recurrente (ii.) varias anastomoses format fig. 4.
f. f. collateralis inferior ad dorsum humeri excurrens & cum interossea externa anastomosis habens fig. 4.
g. arteriæ humerariæ divisio fig. 2. 3. 4.
b. b. arteria ulnaris seu cubitæa fig. 2. 3. 4.
i. i. ejus ramus recurrens cum collateralis superiori (d) concurrens fig. 4.
k. k. rami musculares fig. 4.
l. l. arteria ligamenti seu interossea anterior seu interior fig. 3. 4.
m. ejus ramus ligamentum penetrans seu interossea externa s. posterior fig. 4.
n. rami musculares fig. 4.
o. o. arteria radiæa fig. 2. 3. 4.
p. p. ramus recurrens radiæus fig. 3. 4.
q. rami musculares fig. 4.

Quum auctores, qui methodum recensent, qua aneurysmate spurio laborantibus succurrendum sit (de qua mox plura) plerumque allegant arteriam brachialem seu humerariam duplicem sæpius obviam: hujus quoque schema addendum curavi, quod quum in brachio sinistro oblatum fuit, commodioris comparationis gratia exempla ordinariæ structuræ, hæctenus fig. 1. 2. 3. 4. exposita, pariter ex brachio sinistro elegimus: sistunt ergo hujus schematis, (sed, ob spatii defectum, naturali magnitudine octavam partem immi- nuti) delineationes.

Tab. II. fig. 5. ubi utriusque arteriæ per humeri & cubiti faciem anteriorem distributio unacum nervo mediano in conspectum venit.

Fig. 6. exhibet arteriæ collateralis inferioris distributionem & anastomoses cum ramis recurrentibus.

Fig. 7. monstrat collateralis superioris nexum cum interossea externa.

Fig. 8. sistit figuræ quintæ partem seu cubiti flexuræ regionem, sed in magnitudine naturali, & cum hume-

rariæ ordinariæ infra cubiti flexuram ramis denu-
datis.

TAB. II. fig. 9. repræsentat ejusdem regionis venas ner-
vosque cutaneos, partemque arteriæ extraordinariæ,
quatenus statim apparent, sola cute pinguedineque ab-
lata.

Partium conspicuarum expositio hæc est:

- | | |
|--|---|
| A. musculus biceps fig. 5. | d. d. d. collateralis inferior fig. 5. 6. |
| B. ejus tendo fig. 5. | e. ramus muscularis fig. 5. |
| C. ejus aponeurosis fig. 5. | f. rami musculares fig. 5. 6. |
| D. supinator longus fig. 5. | g. recurrens radiæa hic su-
pra divisionem humeralis
orta fig. 5. |
| E. pronator rotundus fig. 5. | b. ramulus ad supinatorem
longum fig. 5. |
| F. rotundus major fig. 5. | i. divisio humeralis arteriæ
fig. 8. |
| L. Olecranium fig. 6. 7. | k. ramus recurrens fig. 8. |
| M. ulna fig. 7. | l. l. l. rami musculares fig. 8. |
| AA. vena basilica fig. 9. | m. m. arteria interossea inter-
na fig. 8. |
| B. rami ulnares fig. 9. | n. - - interossea externa fig.
7. 8. |
| C. C. vena cephalica fig. 9. | o. o. o. - - radiæa fig. 5. 8. |
| D. D. ramus venæ cephalicæ fig. 9. | p. p. ramus per muscolum
sublimem excurrrens fig. 8. |
| E. E. mediana ex basilica &
cephalica fig. 9. | q. q. arteria ulnaris seu cubi-
tæa fig. 8. |
| F. ramus ex utriusque con-
cursu fig. 9. | |
| G. G. ramus ex mediana fig. 9. | |
| a. arteria subclavia fig. 5. 6. | |
| b. b. b. b. arteria brachialis seu
humeralis fig. 5. 6. 7. 8. | |
| c. c. c. c. collateralis superior
fig. 5. 6. 7. | |

- r. r. r. - - brachialis extra- y. arteria recurrens ulnaris
ordinaria fig. 5. 6. 8. 9. fig. 6.
s.s. ejus rami musculares fig. 5. z. arteria interossea interna
t. ejus anastomosis cum ra- fig. 6.
diaea (oo) fig. 5. 8.
u. arteria interscapularis fig. 6. 1. 1. Nervi cutanei rami fig. 9.
x. - - collateralis tertia non 2. 2. 2. Nervus medianus fig.
semper praesens fig. 6. 5. 8.

Satis ita, ut opinor, repraesentatis & expositis omnibus partibus, quæ in curatione anevrysmatis spurii attendendæ sunt, facilius nunc loca cognosci possunt in venarum cubiti sectionibus evitanda: docendi tamen sunt omnes chirurgi, non solum arterias hujus regionis interdum situm suum paullulum mutare (ut taceam ramos extraordinarios quandoque obvios, quale exemplum sistit fig. 9. (*) verum etiam & adhuc magis venas, uti ex sola comparatione fig. 1. cum 9. satis jam patet. In hac ergo operatione, licet vulgatissima, nunquam non opus est ubique sollicita exploratione & summa accurate, ne ipsa vena penitus pertundatur. Deinde etiam facile intelligi possunt difficultates, quæ operationem chirurgicam premunt, qua anevrysmata spuria sectione extirpanda sunt.

Antequam autem ulterius progrediar, necesse est, ut moneam, propositum mihi haud esse, hic loci exponere universam & generalem anevrysmatis tam veri quam spurii theoriam, neque etiam recensere omnes anevrysmatis spurii species modosque, quibus singulæ vel præverti vel curari debeant, utpote quæ omnia Ill. HEISTERUS satis solideque docuit (**)

E 3

in

(*) Ita Ill. HEIST. etiam prope venam cephalicam, quæ omnium tutissima habetur, magnam arteriam sæpius observavit *Instit. chir. edit. Amst. anni 1739. p. 425. edit. 1750. p. 410. nota a.*

(**) l. c. P. II. Sect. 1. cap. XII. p. 425. seqq. cap. XIII. p. 429. sequ. & P. III. cap. VI. §. VIII. & IX. p. 1226. seq.

in his prolixior essem: id tantum annotasse sufficiet, anevrysmia spuria esse sanguinis ex vulnerata arteria effusionem & sub cute collectionem; speciem vero ejus, de qua sola sermo mihi est, esse illam, quando hic sanguis, & quidem ex arteria una vel altera sub venæsectione simul aperta, extravasatus & collectus & in grumos condensatus nulli pressioni amplius cedit.

Ejusmodi ergo anevrysmia omnium consensu absque cutis dissectione & sanguinis congrumati remotione curari nequit: dum enim sanguis circuitu suo in arteriis ex ampliori spatio in angustius transire cogitur, is ad singulos ita dictos pulsus vulneris aperturam penetrare nititur, hinc ejus latera continuo disjungit, ideoque eorum consolidationem perpetuo impedit, inde vero indies majorem sanguinis copiam effundit, cui cutis resistere nequit. Et dum sanguis hic effusus vel qualitate sua vel mora condensatur & concret, ulteriori effusioni aliquo modo quidem resistit, sed, dum in fluvium suum reduci nequit, tandem putrescit & in sphaelocelofam corruptionem abit.

Quomodo autem, sectione tumoris instituta & sanguine congrumato evacuato, ulterior sanguinis ex læsa arteria profusio certo, tuto atque jucunde sisti debeat & queat, nondum satis demonstratum est.

Sunt qui adstringentia, quid? quod corrosiva vel caustica, arteriæ vulneri detecto imponi suadent, e. g. vitriolum cæruleum, liquorem stypticum Weberi, butyrum antimoni (*), &c. de quorum usu vero infido, vel prorsus noxio, men-

(*) vid. PALEYN *chirurgische operationen* Francof. & Lips. 1717. p. 402. HEIST. l. c. p. 439. edit. a. 1750. p. 423. §. XI. GARENGEOT *traité des opérations de chir.* T. III, a Paris 1721. p. 246. edit. germ. Berol. 1733. p. 257. §. 28. commendat suum liquorem causticum, quem vero non describit.

mentem meam jam exposui in priori casu pag. 480.

Reliqui ferme omnes cunctis sanguinis profluxum sistentibus præferunt ipsius arteriæ læsæ ligaturam, dum illa a connexione cum partibus vicinis separatur, acus curva cum filo cerato trajicitur & denique arteria læsa proximè supra vulnus constringitur, id quod cum variis cautelis & annotationibus satis jam accurate atque præfixe docuerunt præcipue PALFYN (a) GARENGEOT (b) PLATNERVS (c) HEISTERVS (d) MACGILL (e) & ALEX. MONRO (f) quæ hic repetere nimis prolixum foret, id unicum tamen annotasse haud supervacaneum erit, MACGILL, pro elevanda & tutius proinde a nervo reliquisque partibus separanda arteria, ejus vulneri detecto immisisse stylum fortem, (g) quod etiam ab alio factum observavit MONRO (h) qui insuper (i), pro operatione celerius finienda, suadet, ut quamprimum cutis per longitudinem dissecta & sanguis extravasatus ac polypofus remotus est, patiens paululum hæctat cubitum, operator vero pollice ac indice sinistræ

(a) l. c. p. 424. (b) l. c. p. 249.

(c) Institut. chirurg. Lips. 1745. p. 269. §. 438. 439. Ejusd. *Gründliche Einleitung in die chirurgie Erster Theil.* Leipz. 1748. p. 420. seq. §. 463. 464.

(d) Institut. chir. Amstel. 1739. p. 440. §. XIII. p. 443. §. XIX. ibid. 1750. p. 424. §. XIII. p. 426. §. XIX.

(e) Actor. Edinburg. T. II. edit. Gall. p. 325. art. XV. edit. German. p. 341. seqq.

(f) Ibid. T. IV. edit. Gall. p. 364. seqq. edit. Germ. p. 393.

(g) l. c. edit. Gall. p. 327. seq. edit. Germ. p. 344.

(h) Tom. IV. edit. Gall. p. 364. edit. Germ. p. 394.

(i) Ibid. p. 366. ed. Germ. p. 395. seq.

stræ manusprehendat arteriam brachialem, horumque apices sub eam insinuet, & ita acum super unguibus intrudat, hœque modo secure nervum proximum evitet, quem tactu facile ab arteria distinguere potest, quum hanc, flexo cubito, absque difficultate eousque elevare potest, ut a nervo satis removeatur: ita, pergit, hæc operatio, quæ secundum ordinariam chirurgorum descriptionem difficilis, tædiosa & laboriosa est, facile, cito & secure peragi potest.

Hanc methodum in usum vocare aliisque commendare nullum dubium movet auctoribus citatis interceptus per arteriam ligatam sanguinis ad partes inferiores via recta transitus: nam, licet vel ipse arteriæ brachialis seu humeralis truncus supra divisionem suam in ramos (*g. tab. I. fig. 2. 3. tab. II. fig. 4.*) ligandus veniat, persuasi sunt (*k*) nihilominus sanguinem transire posse ad ramos infra ligaturam ope anastomosis arteriarum humeri collateralium (*d. e. tab. II. fig. 4. c. d. fig. 5. 6. 7. tab. III. fig. 8. & x. fig. 6.*) cum recurren-
te ulnari (*i. i. fig. 4. y. fig. 6.*), recurren-
te radiæa (*p. fig. 4. g. fig. 5.*) & recurren-
te interossea (*m. fig. 4. & n. fig. 7.*)
ut et per alterum arteriæ humerariæ truncum (*r. r. r. tab. II. fig. 5. tab. III. fig. 8.*) quando præsens est (*l*), quare mo-

(*k*) GARENGEOT l. c. edit. Gall. p. 249. PLATN. edit. lat. p. 266. §. 436. edit. Germ. p. 418. §. 462. conf. MONRO Act. Edinb. T. II. edit. angl. p. 283. gall. p. 353. germ. p. 372. v. HALLER. ic. fasc. VI. p. 22. b.

(*l*) Ejusmodi arteriæ humeralis duplicis historiam tradit v. HALLER more suo accuratam l. c. p. 33. b. seq. & cui ad manus haud est, evolvat Jo. Frid. MOEBII diss. inaug. sub præsidio Ill. HEIST. Helmst. 1730. ventilatam, quæ sinit *Observationes med. miscell. theoret. & practicas* Observ. VIII. p. 17. seqq. HEIST,

monent, arteriam vulneratam etiam infra vulnus ligandam esse, ne sanguis a vasis lateralibus regurgitet & novam hæmorrhagiam excitet (m): experientiam quoque huic theoriæ respondisse variis casibus ab auctoribus citatis comprobatum est, ubi simul hæc notabilis observatio adstruitur, si vel etiam pulsus in utroque carpi latere aliquamdiu sentiri nequeat, nihilominus ad amputationem haud properandum esse prius, quam manifesta incipientis sphaceli signa in cubito vel manu adpareant, quum pulsus sæpius post aliquot demum dies redit (n).

Quum nervus ille insignis, qui medianus dicitur (2. 2. tab. I. fig. 2. 3. tab. II. fig. 5. tab. III. fig. 8.), arteriam brachialem ubique proxime comitatur, methodi hæctenus recensitæ commendatorum monito (o), idem in arteriæ vincitura absque læsione ab eadem separandus est scalpello aliove instrumento tantum, quantum pro libero transitu acus sufficit. Quomodo hæc læsio nervi perniciofa ad mentem laudati

MON-

HEIST. compend. anat. a. 1741. P. II. p. 126. nota 66. **): Insit. chir. 1739. p. 434. nota c. edit. 1750. pag. 418. nota h. Acta Edinb. vol. II. edit. gall. p. 351. seqq. germ. p. 370. tab. II. fig. 2. 3. 4.

(m) PALF. p. 426. GARENG. ed. gall. p. 251. germ. p. 262. §. 36. HEIST. ed. 1739. §. XXIV. ed. 1750. p. 429. §. XXIV. Act. Edinb. T. II. ed. gall. p. 328. germ. p. 344. Tom. IV. p. 365. ed. germ. p. 395. PLATN. ed. lat. p. 270. §. 439. germ. p. 421.

(n) Ejusmodi præ reliquis notabile exemplum refert ill. MONRO Act. Ed. T. IV. edit. gall. p. 364. ed. germ. p. 395. facta namque operatione d. 22. Maii, pulsus demum d. 5. Junii, distincte redibat.

(o) locis citatis.

MONRO commodius evitari queat, superius p. 39. indicavimus. Quum vero non solum quandoque patiens hanc nervi separationem ferre nec potest, nec vult (p), verum etiam sub hac occupatione ramuli quidam arteriæ laterales facile lædi possunt, hinc procul dubio nonnulli ipsum nervum simul ligare non reformidarunt, de quo le DRAN (q) hæc latine reddita refert: *sunt quidam practitorum, qui arteriam detegere negligunt. Quam primum demudarunt capsulam (qua intelligitur tegmen illud membranosum, quod vasa hæc comprehendit) profunde sub illam adigunt acum instructam filo, quo dictam capsulam & multam carnem simul comprehendunt & constringunt. Et si secundum hanc methodum nervus, quem æque ac arteriam hæc capsula continet, simul constringatur, raro tamen symptoma accedit, quia carnis quantitas simul comprehensa obstat, quo minus nervus justo arctius constringatur, id quod etiam exemplum ex PALFYN citatum comprobatur, & magis adhuc relatio Dn. EIERICH supra laudati: hic namque, dum Parisiis studium chirurgicum excoluit, bis vidit eodem modo hanc operationem a D. BOVDOV feliciter administratam. Quamvis autem hac ratione ipsius nervi læsio, gravissimis symptomatibus obnoxia, ut & ramorum arteriæ lateralium læsio omnino præcaveatur, facile tamen ex nimia nervi hujus insignis & plurimis cubiti manusque partibus integritatem conservantis constrictione, pessima symptomata sequi possunt, nimirum vel saltem stupor, si non penitus mors earum partium, quas sustentat: certe in annotatis manuscriptis, quæ ex ore Dn. DUVERNEY Parisiis 1738. excerpta & pariter a Dn. EIERICH mecum communicata sunt, reperi, ex tali nervi constrictione quendam duos digitos perdidisse: excurrit namque*

hic

(p) Quale exemplum recenset PALFYN l. c. p. 435.

(q) *Traité des operations de chirurgie a Paris 1742. p. 535.*

hic nervus in vola manus ad latus digiti annularis, medii & indicis.

Licet autem negari haud possit, postquam viri doctissimi expertissimique de natura hujus mali æque ac partium, quas occupat, ut & de curationis, arteriæ brachialis vinctura susceptæ, successu suas observationes sollicite contulerunt, eandem nunc sæpius jam feliciter administratam esse (r); nihilominus tamen hi ipsi Auctores adhuc monent chirurgos, ut nullus ejusmodi operationem solus in se suscipiat, sed alios expertos viros simul in consilium vocet vel saltem testes rei ad artis regulas bene legitimeque peractæ habeat, ut taceam, eosdem ingenue etiam indicasse, quæ minus ad votum acciderunt (s); quare procul dubio PLATNERVS (t) omnibus probe ponderatis mentem suam hisce declarat: *ex his intelligitur, in brachio, minimum nisi certa sit desperatio, experiendam esse aneurysmatis chirurgiam (illam scilicet hæctenus expositam): nam si illa etiam fallit, nihilominus ad ultimum auxilium, quo humerus præciditur, confugere potest chirurgus.*

Si itaque hac methodo in usum vocata de amputando brachio non securus est chirurgus; si præterea operatione dexterrime etiam ac felicissime absoluta, non raro magna membri debilitas sequitur. aliam methodum hac securiorem prius tentandam esse, nemo inficias ibit, & quum talem iterata vice se præstitit ea, quam in binis casibus recensitis

F 2

ube-

(r) Exempla vid. apud Auctores citatos, adde *Commerc. litterar. Norimb.* 1734. p. 283. n. II.

(s) Exemplum vide *Act. Edinb.* T. II. ed. Gall. p. 329. seq. ed. Germ. p. 346.

(t) l. c. ed. lat. p. 268. §. 436. edit. germ. p. 419. §. 462.

suberius exposui, eandem hunc in finem ulterius explorandam commendare minus dubitavi.

Me quidem haud fugit, alios jam, & praecipue DIONYSIUM (u), compressionis cum charta masticata mentionem jam fecisse, immo hanc methodum non solum causticis, verum etiam ipsi ligaturae praetulisse (x): sed qui modum applicationis in forma turundarum considerat, facile intelliget, cur non semper, si unquam, effectum optatum praestiterit. Secundum meam namque opinionem effectus hic tantum sequi potest

1) quando vulnus a sanguine extravasato atque corrupto penitus purgatur, ipsumque arteriae orificium ejusque labia, quantum fieri potest, mundantur, & quidem optime cum vino calido ope siringae spongiaeque, ne sanguis corruptus, uti non amplius ad nutritionem, ita etiam neququam ad consolidationem aptus, hanc impediat, sed recenti & balsamico sanguini accessus ad haecce labia patetur.

2) quando charta feligitur tenuissima bibula, haud saepius, quam ter quaterve pollicis quadrati magnitudine complicatur, & masticata iterum probe explanatur: hac enim solummodo sub conditione arteriam exacte ambire, labia paululum conjungere, orificium obturare, reliqua interstitia replere omnibusque partibus arte adherere valet.

3) quando haec placentulae, sigillatim primae, spiritu vini & subtilissimo pulvere glutinante valde impraegnantur, pro-

(u) *Cours d'operations de chirurgie* a Bruxelles 1708. p. 484. edit. German. ab HEIST. aucta Augsp. 1722. Tom. II. p. 763.

(x) l. c. pag. seq.

probe tamen iterum exprimuntur: uterque namque fanguinem denuo affluentem feu in orificio hærentem coagulat, labia orificii constringit & reliquas partes jam corruptas mundat eoque recentis & firmæ carnis generationem promovet, ut taceam, chartam ita præparatam pulveris ope arteriæ tanto firmius adglutinari.

4) quando torcularis & vulneris compressionis auxilio liber plenusque fanguinis circuitus per arteriam læfam ad fufficiens temporis intervallum femper quidem impeditur, probe tamen nimia & ad plenam pulsus in carpo fuppressionem constrictio cavetur, ne partibus nimium compressis mortem inferat (y).

Quod autem cauffam proximam constituit, quæ arteriæ vulnus firmiter obturat iterumque conjungit, est illa polypi quædam species recens generata, quam non solum fufe exponit, verum etiam observationibus demonstrat figurisque idoneis declarat celeberrimus PETIT (z). Ut ut autem ejusmodi polypofa concretio & superstrata caro firma recens generata vulnus arteriæ perfecte fanare queat; confirmationis tamen atque securitatis gratia per aliquot menses ligaculum quoddam gestari potest eo modo, quem Vol. VIII. p. 490. docui. Ceterum nemo de perfectione ejusmodi curationis dubitabit, qui confiderat, omnium confensu non solum possibile declaratum, verum etiam experientia fatis comprobatum esse, arteriæ vulnus fola compressione fanari posse, quam-

(y) de his omnibus conf. Vol. VIII. p. 479. feq.

(z) *Hift. & Memoires de l'Acad. Royale des fc.* a. 1735. edit. Paris. Memoir. p. 435. et a. 1736. p. 244. qui utrique commentarii latine redditi reperiuntur in *Commerc. litter. Norimb.* a. 1741. p. 365 372. tab. IV. fig. 4. 5. 6. 7. & a. 1743. p. 321. 332. tab. IV. fig. 13 — 16, tab. V. fig. 1. 2. 3.

46 *Anevrysmatis spurii historia & curatio.*

quamdiu sanguis extravasatus fluxilis adhuc est & in alveum suum reduci potest: quando enim in anevrysmate spurio inveterato post cutis sectionem omnis sanguis congrumatus removetur, hoc ipso arteria ad eundem statum redigitur, quo ab initio læsionis fuit; adde, hoc in casu compressionem multo aptius applicari posse. Et hæc nunc quidem sufficiant.

F I N I S.



Fig. 1. p. 33.




Fig. 2. p. 34.





Fig. 3.



Tab. I. p. 34.

J. A. Seligmann fecit Norimbergae.




Fig. 4.
p.34.




Fig. 5.
p.35.




Fig. 6.
p.35.





Fig. 7.






Fig. 8.

p. 35.

Tab II**




Fig. 9.
p. 36.



COUNTWAY LIBRARY OF MEDICINE

RC
693
T72

RARE BOOKS DEPARTMENT

